

ciam manifestam, expensas quoque reficere, ac insuper cavere de iudicio sisti coram excommunicatore quis teneatur, priusquam ad cautelam absolvatur. Romæ in sacra congregatione die 16. octobris. 1600.

« ALEX. CARD. FLORENT.
« Hieron. Agutius Secret. »

§ X.

DE CASIBUS, IN QUIBUS JURA PROHIBENT APPELLARE : UBI PLURA DE CLAUSULA, APPELLATIONE REMOTA.

268. *Dantur nonnulli casus, in quibus jura litigantibus denegant appellationem. Referuntur versiculi eosdem complectentes.* — Quæritur I. An, et qui sint casus illi, in quibus jure prohibente appellari nequit? Resp. I. Certum est, atque ab omnibus concessum, dari nonnullos casus, in quibus jura litigantibus denegant appellationem. Textus quippe expressus istud tradit in cap. *Non solum*. § 1. h. t. in 6. ibi : « Exceptis casibus, in quibus Jura post sententiam prohibent appellare. » Ubi Glossa *ŷ. Casibus*, plures tales enumerat, quos alia Glossa in c. *Romana*. eod. in 6. certis versiculis complecti nititur : qui tamen auctius, simulque melius, comprehendendo videlicet quindecim tales casus, ab aliis memorie gratia sic formantur.

Appellare vetant scelus, excellentia, pactum, Arbitrium, fatale, aut si dilatio nulla. Clausula, quæ removet, res quæ notoria constat. Corrige, contemptus, possessio, jus quoque clarum. Post executio, minima, et res longius acta.

269. *Hi ipsi casus patientur quasdam limitationes.* — Fatendum tamen, quod hi ipsis casus nonnullas patientur exceptiones, atque in ipsis locum habeat appellatio, quando quis injuste sese gravatum senserit : præsertim, si possit in continenti justam causam appellationis, atque illati gravaminis allegare, per quam elidatur præsumptio juris, quæ stat contra appellantem in dictis casibus exceptis, seu prohibitis; uti jam dictum est supra § 4. n. 111. et amplius patebit ex dicendis. Unde

270. *Declarantur singuli casus in specie. Ob Scelus prohibetur quis appellare, quando de eo convictus, et confessus est.* — Quæritur II. Quomodo intelligendi sint singuli casus excepti, atque in relatis versiculis comprehensi? Resp. Eosdem prosequendo, prout stant in relatis versiculis. Et primo quidem, per ly « Scelus, » intelligitur causa criminalis criminali-

ter mota : nam in hac non admittitur appellatio, postquam de crimine quis convictus est, et confessus, l. II. c. *Quorum appellationes non recipiantur*. Vel saltem in iudicio sponte confessus est, et nullam in sua appellatione allegat causam obfuscativam factæ a se confessionis; uti vult Farinacius, lib. III. *Praxis Criminalis*. quæst. 101. n. 157. et seqq. citans plurimos alios : et concordant dicta superius tit. XVIII. de *Confessis*. § 3. n. 67. 68. et seqq.

271. *Secus, quando de scelere non sic constat.* — Quod si vero de scelere commisso non sic constet, tunc ille, qui de crimine impetitur, bene appellare potest; « nisi forte manifestus raptor, vel fornicator existat, » per textum in c. *Cum sit Romana*. 5. § fin. h. t. juncto c. *Pervenit*. 13. et c. *Consuluit*. 14. eod. Concordat jus civile l. *Non tantum*, ff. de *Appellat.* ubi non solum illi, qui de crimine condemnatus ad supplicium dicitur, appellare licet; verum etiam quilibet alius pro eo, etiam invito, provocare potest : idque ex ratione humanitatis, ac pietatis.

272. *Interest reipublicæ, crimina non manere impunita. De consuetudine Germaniæ non admittuntur ad appellandum damnati in causa criminali.* — Eadem regula, sive quod ob « Scelus » non admittatur appellatio, confirmatur ex l. *Constitutiones*. ff. h. t. ubi dicitur, constitutiones de recipiendis appellationibus « locum non habere in eorum persona, quos damnatos statim puniri, publice interest : ut sunt insignes latrones, vel seditionum concitatores, vel duces factionum. » Intellige cum Glossa fin. ibid. si modo sint convicti, et confessi; ut l. II. c. *Quorum appellationes non recipi*. vel, ut alii volunt, saltem convicti. Nam, ut in allegato textu notanter dicitur, « publice interest » (hoc est, ad publicam Reipublicæ quietem, atque indemnitate pertinet) crimina, præsertim tam atrocia, et communitati perniciosa non manere impunita. Et hac ratione Layman c. *Quærenti*. n. 2. de *Offic. delegat.* atque Engel, h. t. n. 26. cum aliis notant, quod ex generali, atque inveterata totius Germaniæ consuetudine non admittitur ad appellandum damnati in causa criminali, cujus pœna est corporis afflictiva : cum experientia testes compertum fuerit, Reos ordinarie tantum ad differendum iudicium appellatione, pluraque crimina mansisse impunita. His adde dicta superius tit. præced. § 6. n. 161. et 162.

273. *Excellentia iudicis supremi impedit*

appellationem. Remissive. — Secundo per ly, « Excellentia, » denotatur excellentia iudicis supremi; ut puta papæ, concilii generalis, imperatoris, regis ac hujusmodi. Nam ab his appellare non posse, constat ex dictis supra § 2. 42. et seqq.

274. *Pactum appellare vetat.* — Tertio, « Pactum » appellare vetat eos, qui in iudicio transegerunt; ut cap. 1. et ult. de *Transact.* et l. *Causas*. et l. *Non minorem*. c. eod. Item, qui causam per delationem juramenti voluntarii, aut judicialis terminarunt; de quo supra tit. XXIV. de *Jurejurando*. § 5. et 6. per totum.

275. *Appellare prohibetur, qui expresse, vel tacite appellationi renuntiat.* — Insuper ex hoc capite appellare prohibetur, qui expresse, vel tacite, appellationi renuntiavit. Expresse quidem, v. g. pacto interveniente, de acquiescendo sententiæ iudicis, et non appellando; ut l. ult. § fin. c. de *Temporib. appellat.* et l. I. ff. *A quibus appellare non licet*, ibi : « Si quis ante sententiam professus fuerit, se a iudice non provocaturum; indubitate provocandi auxilium perdidit; » estque jam dictum supra § 2. n. 51. Tacite vero, exercendo actum contrarium appellationi, sicque approbando ipso facto sententiam contra se latam; ut c. *Sollicitudinem*. 54. § fin. h. t. et c. *Cum venisset*. 25. de *Testib.* et c. *Gratum*. 20. de *Offic. delegat.* cum similibus. Siquidem juri suo renuntiare præsumitur, qui eidem contrarium facit; per jura citata, et fusius probat Glossa fin. in cit. c. *Gratum*. Pirhing, h. t. n. 26. et alii.

276. *Arbitrium impedit appellationem.* — Quarto impedit appellationem Arbitrium. Nam si qui, prætermisso iudice ordinario, compromiserunt in arbitrium (quod intellige de arbitrio voluntario, non autem de arbitrio juris, sive necessario) tenentur stare ejus arbitrio, neque appellare possunt ab eo, dummodo non contineat manifestam iniquitatem per partes non remissibilem: uti habetur l. I. c. de *Recept. arbitris*, ibi : « Ex sententiâ arbitri, ex compromissis o jure perfecto aditi, appellari non potest. » Concordat textus in can. *A Judicibus*. 2. q. 6. juncto c. *Non sine*. 2. § fin. de *Arbitris*. Et merito, nam tales de injuria iudicis sibi facta conqueri non possunt; sed omnia suis pactionibus et compromisso voluntario, imputare debent.

277. *Fatalia tollunt potestatem postea appellandi.* — « Fatalia » appellationis tum interponendæ intra decendium, tum introducendæ, et prosequendæ, ac finiendæ tempore legitimo, si non observentur, tollunt potestatem postea appellandi; prout uberius supra § 6. per totum dictum fuit.

278. *Quando Dilatio nulla datur appellare non licet, idque exemplificatur.* — Sexto, appellare non licet, quando « Dilatio nulla » datur : hoc est, « quando res dilationem non recipit, non permittitur appellare : veluti ne testamentum aperiatur, ne frumentum in usum militum, in annonæ subsidia, contrahatur » et hujusmodi; prout statuitur, atque exemplificatur l. ult. ff. de *Appellatione recipiend.* Talia siquidem, admissa appellatione, aut præjudicium grave inferrent, aut penitus interirent, sicque dilationem non recipiunt; et, cum sit periculum in mora, non admittunt appellationem, saltem non quoad effectum suspensivum.

279. *Clausula Appellatione remota, impedit appellationem.* — Septimo, « Clausula quæ removet » (hoc est, quando cuipiam a Principe delegatur causa cum addita clausula, ut in causa illa procedat « Appellatione remota ») impedit appellationem. Textus est in l. I. § fin. ff. *A quibus appellare non licet*. et c. *Pastoralis*. 53. h. t. ubi papa desuper consultus respondet, quod per hujusmodi clausulam non solum appellatio frustratoria videatur inhibita, utpote per quam cæterorum negotium non debet impediri : sed etiam « quælibet provocatio intelligatur removeri, quæ a jure non indulgetur expresse. »

280. *Soli principi supremo competit delegare causam sub clausula, Appellatione remota. Et quid de legato a latere?* — Additur notanter ly, « a principe. » Soli enim principi supremo, puta papæ, vel Imperatori competit, contra leges communes, omnibus appellationem permittentibus, delegare cuipiam causam cum clausula, « Appellatione remota : » juxta l. I. fin. ff. *A quibus appellare non licet*. Adeo, ut nullus inferior Principe hac clausula uti possit; Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. de *Appellat.* n. 337. Barbosa, tract. de *Clausulis*, claus. 9. n. 2. citans alios. Ac etiam legatus a latere non possit sub illa clausula subdelegare, c. *Super questionum*. 27. § *Si vero*. de *Offic. delegat.* Nisi id specialiter ei fuerit concessum, Barbosa, loc. cit. n. 3. post Marches. de *Commiss.*, part. I. cap. VIII. n. 77.

281. *Appellatio est species defensionis. Et quomodo nihilominus a principe possit removeri?* — Dices. Appellatio est species defensionis, c. *Cum speciali*. 61. § *Porro*. h. t. Atqui de-

fensio est cuilibet concessa de jure naturali; ergo non potest tolli per principem: nam quæ sunt de jure naturali, nequit is tollere, veluti inferior, ac subjectus ipsimet juri naturali, Clem. *Pastoralis*. § *Cæterum defectus, de sentent. et re. judicat.* Resp. disting. maj. appellatio est defensio judicialis, atque secundum suam formalitatem, sive modalitatem inducta per leges, ac jus positivum humanum, conced. Est defensio mere naturalis, seu inducta a solo jure naturali, neg. maj. Et eodem modo distincta minori, neg. consequent. Quia, ut inquit Abbas, ad rubric. h. t. n. 7. et Scaccia, quæst. 16. *de Appellat.* n. 22. citans alios, in appellatione sunt duo: vicelicet substantia appellationis, consistens in hoc, ut justitia reddatur adversus iniquitatem, vel imperitiam Judicis: et formalitas, seu modalitas appellationis, secundum quam a sententia definitiva potest libere appellari, etiam non præallegata causa ejus. Princeps igitur per clausulam « appellatione remota » (idem dicendum de aliis hujusmodi clausulis, ac modis tollandi appellationem) removet duntaxat formalitatem, seu modalitatem appellationis, ne videlicet admittatur causa gravaminis antea non expressa, non vero tollit substantiam ipsius, quia non prohibet justitiam reddi adversus iniquitatem, vel imperitiam judicis rite probatam: haud obstante, quod ob auctoritatem judicariam præsumat sententiam esse justam, donec hæc præsumptio elidatur per contrariam probationem. Verum pro meliori intelligentia dictæ clausulæ.

282. *Clausula Appellatione remota, operatur plures effectus, et quos?* — Quæritur III. Quos effectus operetur clausula, « Appellatione remota? » Resp. Operari plures effectus: ubi videre est apud Abbatem, c. *Ut debitus*. 59. n. 14. h. t. ubi decem ejus effectus enumerat: et Barbosam, tract. *de Clausulis*. claus. 9. per totum. Horum principales sunt, qui sequuntur. I. Quia dicta clausula non admittit appellationem, nisi in casibus a jure expressis, cit. c. *Pastoralis*. 53. h. t.

283. *Judex datus sub hac clausula, potest exequi suam sententiam, non obstante appellatione.* — II. Clausula hæc operatur, ut judex a quo, non obstante appellatione, possit suam sententiam mandare executioni, nisi prius appellatio ex certa scientia fuerit recepta a principe: ut c. *Super questionum*. 29. § *Porro. de Offic. delegat.* ac notat Abbas, loc. cit. n. 14. et Barbosa cit. Claus. 11. n. 9. alle-

gans plures alios. Ratio est, quia judex datus cum clausula, « Appellatione remota, » non tenetur deferre appellationi, nisi in casibus a jure expressis, cit. c. *Pastoralis*. h. t. Et consequenter potest exequi sententiam suam: nisi forsitan princeps ex certa scientia admiserit appellationem, c. *Pastoralis*. 28. § *Præterea. de Offic. delegat.*

284. *Ac tenet excommunicationem suam.* — Ampliatur effectus iste, ut teneat excommunicatio, quam judex datus sub clausula, « appellatione remota, » profert in contumacem post appellationem ipsius: dummodo appellatio illa non sit expresse approbata a jure. Abbas, c. *Pastoralis*. 53. n. 9. et Francus, ibid. n. 7. h. t. Scaccia, *de Appellat.* quæst. 17. limit. 22. n. 36. Barbosa cit. Claus. 9. n. 13. et alii.

285. *Judex virtute dictæ clausulæ non deferens appellationi; minime punitur.* — III. Clausula illa operatur, quod judex virtute talis clausulæ, extra casus in jure expressos, non deferens appellationi, minime puniatur. IV. Operatur, quod innovata post interpositam appellationem, non possint revocari per viam attentati. V. Quod, ubi alias appellatio operatur suspensionem jurisdictionis judicis a quo, virtute hujus clausulæ perdit appellatio istum effectum. Ratio est, quæ supra: quia videlicet judex sub tali clausula datus, non tenetur deferre appellationi, nisi in casibus a jure exceptis: unde istud faciens, seu auctoritate legis, aut principis non deferens appellationi, minime peccat, sicque puniri nequit, simulque valide ac licite procedit.

286. *Referuntur alii effectus memoratæ clausulæ.* — VI. Clausula illa operatur, ut rescriptum posterius non revocet prius datum sub clausula, « Appellatione remota, » nisi prioris rescripti, ac etiam hujus clausulæ, faciat expressam mentionem. Abbas cit. n. 14. istud probans ex c. *Ex conquestione*. 10. et notatis ibid. *de Restitut. spoliat.* istudque ampliatur ad quamlibet aliam notabilem clausulam, arg. cap. II. *de Dolo et contum.* et c. *Postulasti*. 27. *de Rescriptis*. Tacentur alii effectus memoratæ clausulæ, apud Abbatem, et Barbosam, ubi supra, et alios videndi.

287. *Clausula appellatione remota, an operetur effectus suos in omnibus casibus? Non impedit appellationem in casibus a jure expresse concessis.* — Quæritur IV. Utrum clausula illa, « appellatione remota, » operetur effectus suos in omnibus casibus: et quando

secus? Resp. I. Regula illa, quod clausula, « appellatione remota, » impedit appellationem, fallit in nonnullis casibus: et quidem imprimis in illis, ubi appellatio a jure conceditur expresse. Textus est in cit. c. *Pastoralis*. 53. h. t. ubi dicitur, quod per hanc clausulam, « quælibet provocatio, » seu appellatio, « intelligitur removeri, quæ a jure non indulgetur expresse: » et consequenter, ubi hæc a jure conceditur expresse, locum habebit.

288. *Referuntur tales casus.* — Porro plures sunt casus, in quibus jure expresse concedente licitum est appellare, haud obstante clausula illa, « appellatione remota, » quos refert Glossa cit. c. *Pastoralis*. 53. §. *Expresse*. h. t. Sic primo expresse indulgetur appellatio, non obstante illa clausula, quando judex denegat spoliato restitutionem spoli, arg. c. *Ex conquestione. de Restitut. spoliat.* Deinde quando delegatus est consanguineus ejus, qui litteras impetravit, aut fuit advocatus ipsius in eadem causa, vel ex alia justa causa suspectus est, poterit is recusari: et si non vult admittere recusatorem, potest ab eo appellari, quamvis sub clausula, « appellatione remota, » fuerit ipsi negotium commissum, c. *Postremo*. 36. *de Appellat.* Ulterius potest appellari non obstante clausula illa, si partes citantur ad locum non tutum, c. *Ex parte*. 47. h. t. Tacentur alii consimiles casus.

289. *Atque istud ampliatur ad omnem appellationem, expresse a jure admissam.* — Resp. II. Non solum, quando jus expresse admittit appellationem, haud obstante clausula, « appellatione remota; » sed generaliter omnis appellatio, cæteroquin a jure approbata, videtur tunc præmissa, licet jura non expriment casum, quod appellatio sit remota. Ita Hostiensis, in d. c. *Pastoralis*. §. *Expresse*. et Abbas, ibid. n. 14. citans doctores communiter; ac sequitur Pirhing, h. t. n. 70. Ratio est, quia hoc ipso, quod jura permittant appellare, gravamen videtur manifestum: atqui remotio appellationis non impedit appellationem, ubi quis manifeste gravatur, juxta Glossam c. *Ex conquestione*. 10. §. *Post appellationem de Restitut. spoliat.* ergo. Exempla hujus habentur in c. *Significantibus*. 49. *de Appellat.* ubi licite appellat reus, si non auditur, pelens declarari rem petitam in libello, adversarii, v. g. quam terram actor petat in libello, si Reus plures terras habeat. Item c. *Ad audientiam*. 31. et c. *Significante*, 4. etc.

Rudolphus, 35. etc. *Significavit*. 36. *de Rescriptis*. et alibi: ubi Papa, « si est ita, » jubet revocari in irritum, etc., sicque causam ibidem expressam gravaminis, justam agnoscit.

290. *Solvitur instantia, ostendendo, quos effectus adhuc operetur clausula illa.* — Dices. Si hæc responsio subsistit; ergo clausula illa, « appellatione remota, » nullum operabitur effectum. Nam vel appellatio est facta sine causa, et sic tanquam frivola cæteroquin nihil valet, cit. c. *Pastoralis*. 53. h. t. et c. *Cum appellationibus*. eod. in 6. Vel est facta ex causa et justo gravamine; et sic juxta proxime dicta admitti debet appellatio, non obstante illa clausula; ergo. Resp. neg. seq. Quia imprimis hæc clausula id operatur, ut appellatio, etiam cæteroquin justa, admitti non debeat, nisi de causa gravaminis antea exprimat, atque propter eam expresse in jure concedi appellationem reperitur: ut d. c. *Pastoralis*. 53. h. t. Cum tamen cæteroquin a definitiva sententia absolute licitum sit appellare, nulla in specie expressa causa gravaminis, ut dictum supra § 4. n. 108. Engel, h. t. n. 36.

291. — Deinde clausula hæc id operatur, ut appellatio interposita (extra casus a jure expressos) non suspendat jurisdictionem judicis a quo: unde iste non cogitur appellationi deferre, potestque sententiam suam mandare executioni; non obstante facta appellatione; antequam a superiore ex certa scientia recipiatur ejusmodi appellatio. Abbas cit. c. *Pastoralis*. n. 9. h. t. istud ulterius probans ex c. *Pastoralis*. 28. §. *Præterea. de Offic. delegat.* ubi clausula illa, « appellatione remota, » suum operatur effectum, donec superior, seu papa, appellationem a definitiva, ex certa scientia recipiat. Idem tradit Pirhing, h. t. n. 75.

292. — Accedit tertius dictæ clausulæ effectus, sed ex præcedenti consequens: quia attentata a judice a quo post ejusmodi appellationem non revocantur a judice superiore per viam nullitatis, sed solum per viam querelæ. Ratio est, quia, ex quo non fuerat suspensa jurisdictio judicis a quo per dictam appellationem, tenuerunt gesta ab ipso; et consequenter hoc ipso nequeunt revocari per viam nullitatis: licet possint a superiore revocari per viam querelæ, ubi cognoscuntur continere aliquam iniquitatem, seu gravamen injustum. Abbas cit. c. *Pastoralis*. n. 11. h. t.; Pirhing, eod. n. 75. His adde cæteros effectus supra n. 282. et seqq. jam expressos.

293. *Quale remedium competat illi, qui per sententiam iudicis dati cum clausula, Appellatione remota, sentit se injuste gravatum?* — Quæritur V. Quale remedium competat illi, qui per sententiam iudicis dati cum clausula, « Appellatione remota, » sentit sese injuste gravatum? Resp. I. Ejusmodi injuste gravatus potest imprimis appellare, non obstante clausula illa, dummodo prius exprimat causam gravaminis. Ita desumitur ex cit. c. *Pastoralis*. 53. h. t. ubi dicitur: « Sed si appellans fuerit gravatus injuste, gravamen huiusmodi per superiorem poterit emendari. » Ubi Abbas, n. 15. recte ponderat ly, « appellans: » ac proinde infert cum communiore, quod talem injuste gravatum teneatur superior audire etiam per viam appellationis, eique succurrere; et non solum (ut nonnulli alii voluerunt) per viam querelæ gravamen illud sit revocandum. Accedit quod princeps per oppositionem dictæ clausulæ non censeatur cuiquam penitus auferre facultatem appellandi, cum appellatio sit species quædam defensionis; sed solum, ne libere possit appellari, etiam nulla prius allegata causa gravaminis; ut jam dictum est supra n. 108. et 111. et n. 269. Hinc Barbosa cit. claus. 9. n. 23. cum aliis tradit, quod clausula, « appellatione remota, » non tollat appellationem, quotiescunque in continenti quis paratus est docere de justa, et legitima causa appellandi.

294. *Enumerantur tria remedia, quibus remota, vel alias deficiente appellatione, juvari possunt injuste gravati.* — Resp. II. Insuper remota, seu alias deficiente appellatione, potest quis injuste gravatus juvari aliis remediis: atque imprimis opponendo nullitatem sententiæ. Ita Sigism. Scaccia, quæst. 19. de *Appellat.* remed. 1. Gailus, lib. 1. *Practic.* observat. 135. n. 7. et alii; estque jam dictum supra § 1. n. 24. et seqq. Siquidem appellatio, et nullitas sententiæ, huiusque oppositio, sunt diversa juris remedia; ac proinde sublato uno, non tollitur alterum. Hinc. c. *Inter cæteras*. 9. de *Sentent. et re judicat.* expresse dicitur, quod sententia iniqua retractetur per superiorem, licet causa fuerit commissa sub clausula, « Appellatione remota. »

295. Aliud remedium, est supplicatio: nam supplicare, quilibet potest, quatumcunque remota sit appellatio, juxta dicta superius § 1. n. 20. Quanquam hodie usus supplicandi propemodum ab aulis recesserit, atque in ejus locum successerit revisio; de

qua jam dictum supra § 2. num. 48. et seqq.

296. Tertium remedium, est restitutio in integrum: hæc enim potest dari adversus sententiam inappellabilem, quando per eam quis graviter læsus fuit; ut l. *Minor*. § 2. ff. de *Minorib.* Sive dein sit inappellabilis ex natura causæ sub clausula, « Appellatione remota. » Et de hoc remedio fusissime agit Scaccia, quæst. 19. de *Appellation.* remed. 2. n. 1. et seqq. atque oportet huc applicare ea, quæ superius l. I. tit. XLI. de *in integrum restitutione*, per totum, ex professo dicta fuerunt.

§ XI.

DECLARANTUR ALII CASUS, IN QUIBUS APPELLARE NON LICET.

297. *Appellatio non admittitur*, Si res notorie constet. — Octavo, non admittitur appellatio, « Si res notoria constet, » sive ob notorietatem facti. Patet istud ex c. *Cum sit Romana*. 5. § fin. et c. *Pervenit*. 13. et c. *Consuluit*. 14. h. t. ubi Summarium, Glossa, et doctores. Quotiescunque enim de causa, sive delicto notorie constat, jam appellatio tantum interponeretur ad differendam litem, atque impediendam executionem justæ sententiæ. Unde tali appellationi, utpote de cuius iniquitate constat, non est deferendum: « Cum appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentie institutum: » prout loquitur pontifex in c. *Cum speciali*. 61. § Porro. h. t. Et hinc convictus in iudicio, simulque sponte confessus, appellare prohibetur, l. *Observare*. c. *Quorum appellationes non recip.* et can. *Ei, qui appellat*. § *Nullus etiam*. 2. q. 6. Ubi dicitur: « Nullus etiam homicidarum, veneficorum, maleficorum, adulterorum, itemque eorum, qui manifestam violentiam commiserunt, argumentis convictus, testibus superatus, voce etiam propria vitium scelusque confessus, audiatur appellans. » Hæc ibi.

298. *In dubio tamen ea admittitur.* — Verum tamen pontifex in cit. c. *Consuluit*. 14. h. t. notanter monet: « Cum multa dicantur notoria, quæ non sunt, providendum esse, ne quod dubium est, pro notorio habeatur. » Nam in factis, et delictis dubiis, dummodo causa probabilis coram iudice exprimat, bene admittitur appellatio: si tamen appellans hanc non prosequitur, aut causam allegatam non probat, iudex a quo procedet in causa juxta c. *Cum speciali*. 61. h. t.

§ XI. DECLARANTUR ALII CASUS, IN QUIBUS APPELLARE NON LICET. 353

299. *Notorium quid dicatur?* — Porro, « Notorium » in proposito dicitur illud factum, sive crimen, de quo constat « vel per evidentiam rei, quæ nulla possit tergiversatione celari; » ut dicitur cap. ult. de *Cohabitat. Cleric.* et c. *Cum olim*. 24. de *Verb. signif.* Vel de quo constat per propriam confessionem rei factam in iudicio; uti habetur ll. cc. et c. *Cum speciali*. 61. de *Appellat.* Quod tamen intelligendum est de confessione sponte facta, et non metu gravi, aut vi tormentorum extorta. Pirhing, h. t. n. 39. Vel de quo patet per sententiam condemnatoriam, a qua non fuit appellatum; ut cit. cap. ult. de *Cohabitat. cleric.* juncto cap. I. de *Exception.* Aut, de quo constat per testes idoneos, aliasque legitimas probationes, si illis nihil possit opponi, sitque jam in causa conclusum cit. c. *Cum olim. de Verb. signif.* juncta Glossa in c. *Significaverunt*. 7. *Liquere de Testib.* Pirhing, h. t. n. 55.

300. *A legitima correctione non admittitur appellatio, præsertim in regularibus.* — Nono, ly « Corrige » denotat, non admitti appellationem a legitima correctione. Textus est in c. *Licet*. 12. de *Offic. ordinar.* ibi: « Licet in corrigendis excessibus, juxta canonicas sanctiones, appellationis sit diffugium interclusum: » junctis concordantiis a Glossa ibid. 7. *Interclusum*, relatis. Idque vel maxime procedit in regularibus, c. *Reprehensibilis*. 26. § fin. h. t. et c. *Ad nostram*. 3. eod. Ubi expresse statuitur, quod a legitima correctione prælati regularis, facta videlicet juxta regulæ præscriptum, et ordinis constitutiones, causa disciplinæ regularis, non sit admittenda appellatio: nisi modus excedatur. « Quia (ut loquitur ibi pontifex) remedium appellationis non ideo est inventum, ut alicui a religionis, et ordinis observantia exorbitanti, debeat in sua nequitia patrociniæ exhibere. »

301. *Nisi modus excedatur.* — Additur notanter cum sumario, et doctoribus ibidem, « nisi modus excedatur. » Nam, ut argumentatur Abbas cit. c. *Ad nostram*. n. 1. h. t. argumento a sensu contrario desumpto, etiam religiosus permittitur appellatio, quando indebite, et contra ordinis constitutiones prægravantur per superiorem suum: haud obstante, quod hic procedat per viam correctionis, arg. c. *Reprehensibilis*. 26. § fin. h. t. Ubi religiosus per superiores suos indebite excommunicatis, seu aliter gravatis, ac proinde appellantis, rigore præcipitur obser-

vantia dictæ decretalis: et consequenter indebite gravati contra ordinis constitutiones possunt appellare. (ADNOTATIO XXI.)

302. *Id ipsum procedit etiam in clericis sæcularibus.* — Insuper sæcularibus etiam clericis in cit. c. *Reprehensibilis*. 26. h. t. præcipitur, « ne contra disciplinam ecclesiasticam in vocem appellationis erumpant. Si vero quispiam pro suo necessitate crediderit appellandum, competens ei ad prosequendum appellationem terminus præfigatur: infra quem, si forte prosequi neglexerit, tunc episcopus libere sua auctoritate utatur, » etc. Hæc pontifex; postmodum subjungens poenam recompensationis expensarum, in quas condemnatur appellans non prosequens suam appellationem, appellato veniente, hancque prosequente.

303. *Contemptus impedit appellationem. Et quid per contemptum hic intelligatur?* — Decimo. « Contemptus » impedit fieri appellationem. Ubi per « Contemptum » intelligitur contumacia judici exhibita in veniendo. Nam verus contumax (id est, ille, qui tribus edictis propositis, vel uno tribus, quod « Peremptorium vocant, legitime vel iudicem citatus est, et tamen non impeditus morbo, aut alia legitima causa, præsentiam sui facere, et venire contemnit) talis, inquam, verus contumax a sententia contra eum lata appellare nequit: et appellans non auditur, postquam negotio prius summatim perscrutato super contumacia sua condemnatus fuit. Textus est in l. c. *Quorum appellation. non recipiant.* ubi proinde Bartolus in *Summario*. breviter inquit: « Verus contumax non appellat. » Idem patet ex l. *Ex consensu*. ff. de *Appellat.* et l. *Contumacia*. ff. de *re judicat.* In quo posteriori loco dicitur: « Contumacia eorum, qui jus dicenti non obtemperat, litis damno coercetur: hoc est (ut explicat Glossa ibid. 7. Litis damno coercetur) ut non appellent; » quamvis non illico admittant causam principalem, si cæteroquin justam causam foveant.

304. *Possessio, seu sententia lata in possessorio, non admittit appellationem.* — Undecimo, « Possessio, » sive sententia lata in iudicio possessorio, non admittit appellationem. Textus est in l. un. c. *Si de momentanea possessione, etc.* juncto canone *Ei, qui appellat*. § *De possessione*. 2. q. 6. ibi: « De possessione etiam, et ejus memento, si causa dicatur (quæ sententia interlocutoria appellatur) quamvis provocatio interposita fuerit,